Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 191
Quelle:
Copyright:

verba in edit. *Romana* horum Commentariorum 1564. p. 241. occurrunt. Recepta esse pariter in *Biblioth. PP. Lugd.* T. VI. *col.* 939. pertinereque ad autorem *Britannum*, et fortassis ipsum *Bedam* jam alio loco monuimus.

LXXVIII. VI. C. 9.

135 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 191. f. partim per duas columnas, partim lineis longis probe exaratus, rubricisque distinctus et bonae notae, qui olim ad Coenobium *S. Georgii in Weltenburg* O. S. B. in *Bavaria* pertinuit, ut *fol.* 140. notatur, continet sequentia: I. *Ven. Bedae Angli Presb.* Scriptoris Sec. VIII. *Expositionem Allegoricam in Esdram et Nehemiam. Fol.* 1. pictura lineari exhibetur *Cyrus* Rex Persarum populo Dei reditum in patriam indulgens. *Pag.* 2. *Incipit Prefatio venerabilis bede presbiteri super librum ezdrę.* hoc exordio: *Eximius sacrę interpres ac doctor scripturę hieronimus* &c. Praefationem excipiunt Summaria *Capitum* XXXVI. quae nobis deinceps sine divisione in *Libros* decurrunt, et collata cum editis T. IV. *Opp. Bedae Colon.* 1678. a *col.* 348. f. integerrima sunt. Initium: *Cunctis legentibus liquet domum siue templum dei* &c. Finis: *Memento mei deus meus in bonum. Amen.*

II. *fol.* 69. *Hrabani Mauri* ex Monacho O. S. B. Archiepiscopi Moguntini, Scriptoris Sec. IX. *Commentaria in Libros Machabaeorum.* Praecedunt Literae binae. Prior: *Epistola Rabani ad ludowicum regem. Domino excellentissimo. et in cultu christianę religionis strenuosissimo Ludowico regi rabanus uilissimus seruorum dei. in domino dominorum perpetuam optat salutem. Cur sim promptus animo* &c. Deest huic Epistolae ultima clausula: *Diuinitas Domini nostri* &c. Altera: *Item alia epistola Rabani ad Geroldum Archidiaconum. Reuerentissimo et omni honore dignissimo geroldo sacri palatii archidiacono. rabanus uilis seruorum dei seruus in christo salutem. Memini me in palatio uuangionum ciuitatis constitutum* &c. Post has Epistolas: *Incipit expositio Rabani super librum machabeorum;* absque divisione in Capita: *Et factum est, postquam percussit Alexander* &c. *Initium libri machabeorum simile est principio libri ezechielis* &c. Finis totius Expositionis: *Ut in tercia decima die et in quarta decima mensis adar habitę. pariter iungerentur.* Per errorem subscriptum est: *Explicit Liber Tercius.* Habentur quidem Commentaria isthaec in *Opp. Rabani Colon.* editis T. IV. 1626. a p. 380. f. sed longe sincerior et plenior est lectio in nostro *Codice*, atque, ut obiter aliquid decerpamus, ubi *Colon.* p. 388. E. habent: *æternæ vitæ præmia — adipisci compescunt*, noster *concupiscunt.* Et paullo post F. *Colon. Fidem quotidie — dolose suggerit;* noster *Idem;* est enim sermo de *Sathana. Colon.* in

fine